

Marco Antonio Dominis de

**Reverendissimi In Christo Patris Marci Antonii De Dominis, Archiepiscopi  
Spalatensis, Consilium. Caussas discessus sui ex Italia, & e Psychotyrannide  
Pontificis Romani exponit longe gravissimas : Excusum primo Venetiis 20. die  
Septemb. Anno 1616**

Iam denuo ad primum exemplar fideliter recusum, [S.l.], 1617

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728271524>

Druck    Freier  Zugang





Ad-1028<sup>1-8</sup>





7

REVERENDISSIMI IN CHRISTO  
PATRIS  
**MARCI ANTONII**  
DE DOMINIS, ARCHIEPI-  
SCOPI SPALATENSIS,  
**CONSLIUM.**

Caussas discessus sui ex Italia, &  
è Psychotyrannide Pontificis Romani ex-  
ponit longè gravissimas.

*Excusum primò Venetijs 20. die Septemb.  
Anno 1616.*



Iam denuò ad primum exemplar fideliter  
recusum 12. Januarij Anno 1617.

MARCIANICA  
PROMPTUARIA  
MUSICOLOGICA

Caduisse dicitur in iiii ex lata.

Ex Bibliotheca Academica Rostockensis.



50  
50

# MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS, ARCHIEPISCOPUS SPALATENSIS, SUE PROFECTIONIS CONSILIIUM EXPO NIT.

**N**E subitus, ac inopinatus, reliquis omnibus, hic meus discessus; mihi tamen diutino, ultra decennium, consilio discussus, exquisitaque deliberatione maturatus, aliquam passim, apud nostros, moveat admirationem, & apud rei ignaros effectus malos, mea culpa, si fileam, patiat; meæ non præcipitis, sed optimè consideratæ profectionis consilium, opportuna præoccupatione, fuit omnino exponendum.

Prævideo sanè, non defuturos obtrectatores plurimos, qui ex hac mea profectione, maledicendi, meq; calumnijs de more impetendi, sint assam arrepturi; id tamen, coram Deo fateor, me non nimium angit, solicitatque: Mihi enim, cum Paulo, pro minimo est ut ab hominibus judicer. Sim stultus propter Christum: sim ignobilis: cædar colaphis; maledicar: persecutio-nes patiar: blasphemar: purgamentum Mundi, & peripsema, imo & anathema siam: dummodo Christo Domino satisfaciā, & fratribus meis in Christi Ministerio, prosim; debeo penitus contem-nere. Nam gloria nostra est, testimonium conscientiæ nostræ: quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapien-tia carnali; sed in gratia Dei; locum mutem. Meum profecto est exhibere me ipsum, sicut Dei ministrum, in multa patientia; in tribulationibus; in necessitatibus; in angustijs; in laboribus;

A 2

Per

43

per gloriam, & ignobilitatem ; per infamiam, & bonam famam. Non enim me, neq; mea quero, sed quæ sunt Jesu Christi. Angit me potius, ac solicitat, si obere cationibus, & calumnijs obviā non prodiero, facile futurum, ut non exiguis fortasse bona ædificationis fructus, in pijs multorum animis, quem ex meis consilijs capere possint, impeditur : multique, loco ædificationis, ex injustis, quas audituri sunt, calumnijs, meorum consiliorum ignari, in scandalum aliquid, mei causa, imprudentes prolabantur. His ego ut consulam potissimum, professionis meæ consilia aperio ; eaque reddo omnibus manifesta.

Meam hanc, in loci mutatione Divinam esse vocationem, non humanam ; nullo modo aut possum, aut debeo ambigere. Scio non omni Spiritui facile esse credendum ; sed probandos esse spiritus, si ex Deo sint, ut präclare monet dilectus Christi Discipulus Joannes : In his ego probationibus, præter frequentem integri, ut dixi, decennij, quem à Christo didici, ad Patrem luminum accessum ; illud mihi (in quo Deum, & meam conscientiam, testes advoco) est certissimum, ad meas aures nullas unquam hominis ullius, cuiuscunque generis suasiones pervenisse ; invitatores nullos unquam habui ; nullos suasores ; nullius penitus in hoc sum unquam usus consilijs ; cum nemine mortalium rem contuli. Sed neque ex libris, Romanæ doctrinæ adversantibus, mea consilia hauiisse, quis suspicetur : Deum enim testor, me ab illis libris, quos Römana diligentia proscripti, vehementer abhorruisse. Quos profecto, si ullus aliis Romanæ Curia addictus Prælatus, est detestatus ; ego sanè, vanis à puer conceptis terroribus, detestatus sum supra modum. Quanquam ne puerulus quidam jam sum, cui sexagenario propemodum, absque rationum momentis, persuadeat quisq; quod libuerit. Animi mei ego impetus & cogitationes, alijs regulis non sum unquam moderatus, nisi ijs, quas toti Ecclesiæ sanctæ, Sanctus Spiritus in sacris präscripsit literis ; quarumq; duetu, Orthodoxi sancti Patres in Ecclesia Catholica celeberrimi, & quos illâ semper est plurimum venerata, fideles Christi instruxerunt.

5.

serunt. Qui tandem soli Sancti Patres, præter internas Spiritu-  
tus Sancti motiones, consilij hujus mei, amplissimi fuerunt au-  
tores. Cur ergo spiritus nequam opus suspicer? A qua me il-  
lud præterea suspicione liberat, quod coram Deo, qui corda &  
renes scrutatur, me in mea deliberatione sciām nunquāt men-  
tem ad humana & temporalia consilia direxisse. Non ad digni-  
tates Ecclesiasticas quæ meam decere videbantur conditionem:  
Jam enim eram Episcopus, nec inimicus; sed in patria Provincia  
supremus: Spalatenis nimirum, hoc est alias Salonitanus Archi-  
episcopus, duorum Regnum Dalmatiæ, & Croatiæ, Primasc-  
tantæ in nostris Provincijs & Ecclesijs existimationis, quantæ (nec  
erubescam verum fateri) quivis aliis. Quod si etiam Romanæ  
mihi dignitates arribissent, ad eas quoque mihi aditus semper  
paruit satis amplius. Mores tamen Romanæ Curiæ, mihi nihil  
probari, ut illam perpetuo abhorretem, efficerunt. Et nihil  
minus Romana sedes, in gravioribus etiam publicis negotijs,  
mea uia est opera, apud Cæsarem, & Archiduces. Brevia Pon-  
tificia, literæ Cæsareæ, & Archiducales, quas penes me ser-  
vorem satis testantur. Non exigua quoque mea, apud Serenissi-  
mam Remp. Venetam merita, illius mihi, quæ naturalis meus  
Princeps est, gratiam paratam exhibuerunt. Unde melioris for-  
tonæ beneficium mihi sperare licuit, & exspectare; si majoris am-  
plitudinis aviditas me tenuisset. Non ad commoda temporalia,  
quæ mihi sanè-tanta suppeditabant, quanta moderato animo,  
qualem me semper habuisse, Divinæ gratiæ tribuo, satis super-  
que fuerunt. In hac verò mea loci mutatione, & dignitatum, &  
opum detrimenta, amplector lubens, quia ut dixi, non quæ mea,  
sed quæ Iesu Christi sunt, quæto. Non igitur humana ulla  
consilia; non effrænis ulla affectio; non necessitas temporalis;  
non eventus; non easns illus acerbis, qui transuersos homines  
solet agere, me ut discederem compulerunt. Sed quid illud fue-  
rit, sine fuso & fallacijs dicam ingenuè.

Ego sane à puerō, in sacris studijs, juxta doctrinam com-  
munem Scholasticorum; & juxta placita Romanæ sedis, in socie-  
tate

ate Jesu, majori ex parte, sum enutritus. Pro quibus mihi Romanis proprijs placitis, autoritate potius quam ratione, cum vera intellectus captivitate, impressis, atque penitus in animum infixis, mori etiam fui diu paratissimus. Piaculum enim ducebam, circa illa, vel minimam admittere mentis, & cogitationem, neddum assertionis, ambiguitatem: religioneque communi obstrictus, si vel cogitatio adversa illa interdum obreperet, auctor sacra lectio dubium suggereret; vim mihi ipsi, ut sit in rebus fidei, semper inferendam putavi; & alio mentem cogitationemque divertebam; ne adversus fidei certa mihi putata dogmata, (pro talibus enim nobis pueris venduntur) vel leve dubium, admitterem. Fatoe igniculos me perpetuo interni spiritus sensisse; quibus tamen resistebam; acquiescere vero nunquam plenè potui; neque à vehementi suspicione, quæ me perpetuo, postquam in sacris Theologiae studijs adolevi, anxiū habuit, penitus me liberare. Quam mihi suspicionem augebat, tam exacta, tamque rigorosa, & domestica, & Romana diligentia, qua caveri oculatissime perspiciebam, ne libri Romanæ doctrinæ contrarij, à quoquam nostrum teneantur, vel perlegantur. Vulgo enim eos merito prohiberi censebam; ne vulgares homines, judicio, & discretione destituti, falsitatis imbibenda periculis exponantur: Quod vero studiosis, & optimè erga Catholicam fidem affectis, & sana doctrina pollutibus, penitus auferrentur, suspicione rem non carere, ut ratio merito dictat, semper sum arbitratus. Cum præsertim, etiam post peracta plene Theologica studia; post assumptos gradus in Theologia; post promotionem etiam ad Episcopatus, copiam nobis talium librorum fieri, nullo modo, Romana Curia patiatur. Crescebat suspicio, quod magistri ipsi & professores, in tractandis publicè, sive voce, sive scripto controvetsijs, omnino velint fidem sibi adhiberi; adversariorum dicta, & sententias, illas esse, quas ipsi referunt: auditoribus vero nullo pacto, excommunicationis injecto terrore, ut legant ipsa adversariorum scripta, permittatur: In quibus abscondendis, suppressandis, perden-  
dis,

7.

dis; adeo laboratus, ut hęc ipso latere aliquid in illis licet spicari, cui convellendo, doctrina nostra non sufficiat.

Fovebam, à primis mei Clericatus annis, in me innatum pene desiderium, videntē unionis omnium Christi Ecclesiarum: separationem Occidentis ab Oriente, in rebus fidei; Austri ab Aquilone, & quo animo ferre nunquam poteram: cupiebam anxietat, tantorumque schismatum causam agnoscere; ac perspicere, num posset aliqua exegitati via, omnes Christi Ecclesiās, ad veram antiquam unionem, componendi; Idque vindredi ardebam desiderio. Dolore interno animi ex tot dissidijs, inter Christianae Religionis professores; ex eodijs acerrimis inter nobilissimas Ecclesiās inflammati; ex tunica Christi scissa, & lacerata, concepto excruciant. Qui me dolor, & nimia tristitia, mitum in modum conficiebat; & in dies magis conficit.

Ad regimen tandem Ecclesiā sum, jam ante viginti annos, promotus, & factus Episcopus Segniensis; meis Patribus Jesuitis id satis agrè ferentibus; quem nimurum, non ociosum, non Societati ipsorum inutilem, & agnoscebant, & experiebantur (quod ipsum quoque non plurimi facio; humana cāim omnis existimatio, ut debet, à me contemnitur; nisi illa ad Divina obsequia aliquid valeat (me, inquam, utilem experiebantur; in medio enim ipso probationis tempore, me adolescentem adhuc, ad humaniores literas, in publicis Gymnasijs Veronæ profandas, adhibuerunt). Antequam presbyter fierem, in Mathematicarum Disciplinarum Cathedra publica, me Patavij, non sine magnis Auditorum concursu, collocarunt. Brixia me Rheticis primum; deinde Logices; Philosophiaeque, in Scholis publicis, constituerunt professorem. In templis vero, diebus festis, ut sacras habetem conciones, non raro voluerunt. Privata quoque, & non levia, mihi negotia peragenda, saepius injunxerunt: In reliquisque Societatis ministerijs, me impigrum socium semper habuerunt. Quidni ergo meam, ad Episcopatum provocationem, agrè ferrent?

bns

Iuss, &c, ut ita dicam, aëreis, Scholasticorum disputationibus, ad terram descendendi; & studia ipsa in actum practicum, curæ spiritualis animarum, & Ecclesiæ, reducendi. Et quoniam proprium jam meum munus Episcopale concionandi agnoscebamus. Sermonarios. Quadragesimaliumque libros, de more, arripui evolvendos: Sed illi mihi brevi naufragam, stomachumque moverunt. Vidi enim, & facile, turpem Scripturarum abusum, dum ad sensus vanos, inutiles ac impertinentes, immo etiam perniciosos, detorquentur: Vidi exempla aut falsa & conficta; aut saltem apocrypha & ridicula proponi: Vidi miserabiliter populum deludi; inventaque Avaritiae & Ambitionis, pro sanctis fidei dogmatibus, non sine superstitionibus, obrudi, & inculcati; exhorruique: ac inde, omissis turbidis rivulis, ad sanctorum Patrum fontes, mihi omnino statuji accedendum; quorum lectione pro concionibus; & factorum canonum meditatione, pro regimine, cœpi delectari.

Hinc novæ mihi cujusdam lucis radij identidem, nolenti adhuc & repugnanti, illuxerant. Observabam hinc in theoricis dicta Patrum, valde communi doctrinæ, qua imbutus in Scholis fueram, in multis adversantia; & ea vel prætermissa à meis magistris, vel non fideliter adducta; vel non sufficienter, aut etiam perperam explicata, animadvertebam: inde Ecclesiastice Disciplinæ, regiminisque spiritualis nostrorum temporum normam, & praxim, plurimum à veteri dissidentem, non sine admiratione, intuebar. Unde mejam dictæ suspicione, non levibus sunt auctæ incrementis: neque nos satis bona fide, doctrinam, & negotia Christi, ac Sanctæ Ecclesiæ tractare, quodammodo eminus, perspiciebam; qui ingeniosis potius humanæ speculationis, & Philosophicis ratiocinationibus; quam Divinæ scripturæ exactius discussæ, & explicatæ, dictis (cujus summa apud nos ignoratio) nostram instruimus Theologiam.

Ab Episcopatu, ad Archiepiscopatum sum enectus. Ea mihi nova & urgentior occasio suborta, studia mea innovandi; ac ijs ferventius, & exactius, laborandij. Ubi enim Suffraganorum

9.

rum meorum Provinciae Episcoporum molestia; sed multo magis Romanæ Curiae nimia potentia, iuræ mea Metropolitica perturbantis, me pulsare cœperunt; omnium Ecclesiasticorum gradu, potestatum, munierum, officiorum, & dignitatum, ac præsertim Papatus, mihi fuit radix inq[ui]sitionis, penitusque cognoscenda. Accessit paulò post Venetum interdictum; Romani libelli, nos Venetæ totius ditionis Episcopos, ut pecudes, rudes imperitos, & malæ conscientiæ homines, deprimere, vexare, ac proscindere non desisterunt. Hinc ad nostras perficiendas defensiones; veritatemque in ipsa causa Veneta cognoscendam, novi & ardentioris studij, mihi novæ sunt datae occasionses. Sacri antiqui Canones, Concilia orthodoxa, Patrum disciplina, Ecclesiastica prisca consuetudo, fuerunt mihi etiam atque etiam pervolutanda. Quid plura? Inveni plenissimè in his solis, quicquid quererem, & multo amplius etiam quam quererem. Jam vero, apertioribus oculis, facile fuit observare, doctrinam illarum Ecclesiarum, quas plurimas Roma sibi excitat adversarias, & à nobis acriter reprehenduntur, à nostrisq; Theologis impugnantur; à vera prisca Ecclesia pura doctrina, vel nihil, vel parum admodum aberrare: tamque, non quod re vera heretica sit, aut falsa; sed quia sensui, corruptisque Curiae Romanæ moribus, ipsiusque humanis consilijs & inventis, jam plenè factæ temporalis, adversatur; Romæ, & apud nos, horri potius & repellit, quam legitime impugnari. Vidi jam apertissime, penitusque perspexi, Romæ, absq; ullo legitimo fundamento, iano per summam vim, inumeros fidei articulos novos quotidie cudi, & nobis obrudi; in ijs, quæ non modo ad fidem Divinam nihil pertinent, sed etiam manifestam in se continent falsitatem. Quos neque à quoquam discuti, neque in debitam Ecclesiæ consultationem venire, illa patitur: sed ad necem illos persequitur, qui vel mutare contra illos audiant. Consilia sacra jamdiu ipsa compressit; ac proinde sanctæ Christi Ecclesiæ oculos eruit; ut Samsonis instar, cœca redditæ, viribusq; proprijs destituta, captiva, vilisque effecta, infelix gemat. Fuit aliquando

B

do

10

dō articulus fidei, Universalem Ecclesiam per totum Mundum diffusam, esse Ecclesiam illam Christi Catholicam, cui Christus ipse perpetuam promisit assistentiam: quam Paulus columnam vocat, & firmamentum veritatis: Nunc articulum hunc fidei, nostri Romani contraxerunt; ut jam Catholica Ecclesia, ipsa Romana Curia intelligatur; atque in ea sola, imo in solo Papa, totum Christi Spiritum residere, firma fide credendum proponatur: Et quicquid in honorem Universalis Christi Ecclesiae, olim dictum sit, id totum ad solam Curiam Romanam, per summam vim, & injuriam Ecclesiae, pertrahatur; & ad fidei articulos Romae reducantur plurima, quorum nullam a Christo habuimus unquam institutionem: quibusq; insuper animæ fidelium misericorditer decipiuntur; ac consequenter cæci, simul cum suis cæsidoctoribus, in barathrum perditionis ruunt, & præcipitantur. Atque hæc, inter cætera, jandiu me summa afficiunt molestia, doloremque in animo meo excitant incredibilem:

Innumerabiles verò has Romanæ Curiæ novitates, perniciosissimosque errores, quibus & clades animarum exercetur, & disciplinæ Ecclesiasticae vigor frangitur, & fidei propagatio, ac purgatio, impeditur; & scandala innumera in Ecclesiam inveniuntur; & pax civilis Christianorum turbatur; bellaque inter ipsos centur; & Regna subvertuntur; & schismata horrenda fiunt Ecclesiarum; & mala gravissima oriuntur; Quæ omnia jam exatius observavi, nunc singillatim commemorare prætermitto; quia hæc omnia in meo opere de Republica Ecclesiastica plenè persequor: quod jandiu præparatum habeo; statimque illud typis dabo, & calcographo, qui mihi in hoc itinere primus in Germania commodus occurrerit, imprimentum consignabo. Decem ego libris, totum hoc de Republica Ecclesiastica opus complector. In quorum primo, formam hujus Reipub: inquiero; statuoque Ecclesiam sub Christo ad perfectissimam Monarchiam pertinere: in terris tamen Christi Ministros, à Monarchia terrena alienissimos, ipsa Christi institutione, Aristocraticè, non sine aliqua Democratiæ admixtione, Ecclesiam ipsam gubernare.

rare: & consequenter Petri Primatum, seu Papatum, ostendo,  
 cum Evangelio, & Christi institutione plurimum pugnare. In  
 Secundo, Ecclesiasticae Reip. Rectores, & Ministros considero:  
 quinam sint, & quomodo sanctis Apostolis detur successio; &  
 quæ sit Episcoporum institutio; & quomodo differant à Presby-  
 teris; & qui sint Ministri inferiores; & quid Sacer ordo in hac  
 Repub. efficiat. In tertio, explico Hierarchiam, quæ inter E-  
 piscopos, & hujus Reipub. Rectores, invenitur: doceoque, jure  
 Divino, inter Episcopos, nullam esse prælationem, nullam sub-  
 jectionem; sed solo jure Ecclesiastico locorum gradus, inter E-  
 piscopos, distingui: & consequenter ago de Episcoporum electio-  
 ne, confirmatione, consecratione, seu ordinatione: de Metro-  
 politanorum, & Primatum ac Patriarcharum juribus. In quar-  
 to, Romanæ Ecclesiæ discutio privilegio, ostendoque, eam neque  
 in se, neque in suo Episcopo, neque in suo Clero, ullam habu-  
 isse à Christo, supra cæteras, præminentiam: sed si quam habuit  
 vel habet, eam ex humanis præsidij ipsam accepisse. In  
 quinto, propriam Ecclesiæ potestatem indagandam suscipio, ac  
 probo, eam esse merè spiritualem: jurisdictionemque omnem  
 ab Ecclesia procul reiicio; & consequenter de Sacramentorum  
 vi, & operatione, differo; pariter de Censuris. In sexto, Laicam  
 potestatem cum Ecclesiastica comparo; ut pateat inter Ec-  
 clesiasticam, & temporalem Rempub. distinctio: Principesque  
 temporales Christianos, multa posse in Ecclesia doceo; Ecclesi-  
 am verò nihil posse in temporalibus, maximè erga Reges. Ago  
 itaque de Christi Regno temporali; de potestate Laica, unde sit,  
 & quam late pateat; de immunitatibus Ecclesiistarum & Eccle-  
 siasticorum; de Investituris; de Sicula Monarchia: & similibus.  
 In septimo, internam Reip. Ecclesiastica per fidem directionem,  
 contemplor; regulamque veram fidei inquiero; & ita disporto de  
 Verbo Dei, de Ecclesiæ & Papæ in hoc autoritate; de Concilijs,  
 de Hæresi; de Schismate; & similibus. In octavo, externum Ec-  
 clesiæ regimen per leges, Canones, & judicia, considero; Ago  
 itaque de obligatione Canonum, de dispensatione, de præceptis

jejuniorum, precium; & similibus. In nono, ad temporalia bona Ecclesie accedo; pluribusq; explico, quam parca esse debeat ministrorum Ecclesie sustentatio; unde illa accipiatur; & quomodo bona Ecclesie administrentur. Ago itaque de decimis; de beneficijs; de dominio in bona Ecclesie, de usu, & abuso reddituum Ecclesiasticorum; de pensionibus & commendis, & de Clericorum testamentis. In decimo & ultimo, libertatem Ecclesiastica explicandam suscipio; ut videamus, quomodo hec Respub. libera sit; & consequenter ago de privilegijs, & privilegiatis; de abuso privilegiorum; de exemptionibus, & exemptione Monachorum subjectione, & similibus. Hic fuit meorum studiorum fructus. Dum enim occasionibus jam dictis, sacra Biblia, Patres orthodoxos, sacratissimos Canones, Conciliorum volumina, avide legebam, apertis jam oculis, zelo veritatis, & mihi ipsi & alijs explicandæ, incensus, non potui non scribere quæ observabam. Atque hæc mea multiplex scriptio, opus peperit quod recenseo. Vidi itaque, planeque perspexi, nos in nostris Ecclesijs, sive doctrinam, sive disciplinam spectes, à recto tramite plurimum deviare.

Quid ergo facerem amplius, in medio nationis pravæ atque perversæ? Si meam Ecclesiam regere, ut par erat, juxta veterem Catholicæ Ecclesie disciplinam; si doctrinam veram Catholicam & docere, & exercere voluisse; gravissimas in caput meum procellas Romanas, fœdissimasque tempestates, accelerassem: contra quem jandiu odium conceptum Romæ fovebatur; quæ meos in scribendo adversus ipsius sensa, labores, iam suboluerat; nam & per Nuntrium Apostolicum, Venetijs comorantem, non semel monitus haec de re, & correptus fui. Satius ergo fuit penas columbz assumere, & avolare, elongari, fugere que ad solitudines, ubi expectare possim eum qui saluum me faciat à pusillanimitate spiritus, & tempestate; quam me cœcum voluntarium, cum cœcis, in interitum, cœcos ducere. Quid sunt jam Episcopi sub Romano Potentatu: In temporibus quidem, ubi opima sunt sacerdotia, & dignitate eminent, secu-

seculari, Magnates sunt, conspicui sunt, Principes sunt, sed Episcopi, nisi aequivoce, nequaquam sunt. Reliquorum vero Episcoporum, Episcopalis administratio tota perire; regimen enim omnium Ecclesiarum, totum est Romanum redactum: ipsi vero Episcopi, sunt Domini Papae vix Vicarij; & administrari viles, contemptibiles, oppressi, conculcati; subjecti miserabiliter, non soli Papae, sed Cardinalibus, torque Congregationibus contra illos Romae institutis; Legatis a Latere; Nuntijs Apostolicis; Inquisitoribus; Visitatoribus; ac demum Regularium innumeris ordinibus, eorumque fratribus; qui jam suis Apostolicis privilegijs, non aequaliter modo Episcopis, sed eos etiam superant, impediti suntque in regendo, ac eorum absorbent potestatem. Ecclesia, sub Romano Pontifice, non est amplius Ecclesia; sed Respub. quædam humana, sub Papæ Monarchia tota temporali: Vineam est, ad solum Noe inebriandum: Grex est, quem Pastorem ungat ad sanguinem, tondeat, immo radat, immo excoriet, & mactet. Cur igitur non fugiam, ne mala ista videam amplius, neve etiam eorum sim cooperator, & particeps? Canem me Christus in suo grege posuit; mutus esse amplius non debo, sicut muti sunt omnes Episcopi sub Romano: qui hinc spe allesti, inde metu territi silent; potiusque assentando, simul cum Duce, ad præcipitum properant. Quoniam vero Obsequium amicos, Veritas odium parit; cum Veritatem descerere neque possum, neque debeam; odium propinquum mihi omnino fugendum fuit; odique effectus jam ordinarij, venena, & pugiones, fuerunt evitandi. Eò enim nostris temporibus redactares est, ut Ecclesiasticae controversiae, non Theologis amplius; non Cencilijs; sed tortoribus, sed carnificibus, sed sicarijs, sed sanguinarijs, sed parricidis, defendenda Romæ, aut Roma, committantur.

Hæc mihi, et si fugam semper suaserint vehementissime, nihilominus tamen, ancillam quoque Agar, cum suo Ismaele, mihi molestam, diu sum expertus, fateor: Carnem videlicet adversus spiritum saepius audivi, his vocibus insurgentem: Quo

tandem perges? Dignitatem sub Romano Pontifice satis amplam, & commoda non contemnenda, eum spe, si vis, aliorum, es assecutus. Hæc jam possides, hæc certa sunt; quid alibi futurum sit, nescis. Itane & patriam, & cognatos, & affines, & amicos deseris, ad eos nunquam amplius redditurus? Cur te innumeris alijs Episcopis sapientiorem facis? Illi omnes ferunt omnia, tolerant omnia, excusat omnia; cur tu quoque non fers, non toleras, non excusat? Tunc solus ex innumerabilibus sapiis, & alijs omnes desipiunt? An nescis te statim, non absque ingentibus convicijs, Romæ primum, deinde passim. Hæretici turpi infamia notatum iri? Hæc & similia, mea mihi Agar, subinde in aures insuurrabat, non sine interno gravi inter ipsam, ac meum internum spiritum, victamque jam conscientiam, conflictu. Sed Divinus spiritus vehementiori impulsu, tandem me alterius moras necesse non permisit; ac veluti Abramum, voce illa efficaci, ad se vocavit, dicens: Egressere de terra tua, & de congnatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monstrabo tibi: fecitque ut celeberrimum illud Sapientum dictum, SEQUERE DEUM, re ipsa exequenter, quemadmodum illud ipsum, juxta sancti Ambrosij, libro i. de Abraham cap. 2. considerationem, optimus Abram, facto prævenit. Quod ipsis factum, mihi admirabili quadam ratione animos addidit, & robor; dum cerno, Deum promptæ Abrami obedientię, illud in primis remunerationis contulisse; ut ab eo dedecus atque infamiam longe propulsarit; Saræ enim uxoris pulcherrimæ pudicitiam, in manibus Tyranni periclitantem, à contumelia liberavit. Sed & Ambrosius me hinc plurimum consolatur dum ait; Itaque quoniam propter Deum Abram contempnit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia: Sed priamam Deus pudicitie tribuit remunerationem, quam gratam sciebat conjugi. Illud quoque præclare idem addit Ambrosius: Quid is qui Deum sequitur, tutus semper est: ideoque Deum, inquit, præferre debemus omnibus: nec patriæ conquitu, nec parentum, filiorumque gratia, nec uxoris contemplatione, revocari debemus, ab execu-

executione p̄ceptorum coelestium, quia Deus nōbis omnia illa largitur, & potens est servare quæ dona. Hæc me quoque plurimum confidere faciunt, fore ut in primam mē, et si tardioris sequelæ, remunerationem, Deus famæ, existimationique mē, ante omnia consultum esse velit; ne illa, cujuscunque tandem forma sit, & pulchritudinis; in manibus quoque Barbarorum, dedecus ullum patiatur: sed illæsa, ac incontaminata, ad aliorum præsertim ædificationem, & scandali evitatem, conservetur. Qua ego confidentia animatus, vocationeque permotus, ac periculis monitus, fugam hanc arripui jam præmissime.

Charitas tamen Christi super omnia urget me. Vilis essem & abjecti animi, si ad quietem solam fugerem, ut postposito legitimo certamine, otio alicubi torpeam, & marcescam. De Christi causa agitur; ea mē ad se vocat. Audio vocem illam, in auribus mihi perpetuo intonantem: CLAMA: monenterque, quo clamor meus cum illorum clamoribus conjunctus, quorum non sunt incurvata genua ante Baal, nielius exaudiatur; ut super montem excelsum ascendam, ad evangelizandum Syon. Eam vocem sequor, in tutum aliquem locum ascendo, ubi veritas ipsa Catholica, liberum jam extulerit caput; unde, pro muneri mei debito, eandem veritatem, quantum in me est pandam, schismatumque extinguendorum, & unitatis Ecclesiastice resarcendæ, vias aperiam, & demonstrem. Clamores meos brevi audiet Ecclesia: loquar ad eam Hierusalem; & advocabo eam. Nec enim muneri meo deesse possum: Episcopus sum in Ecclesia Christi. Episcopo porro cuique ita tradita est Ecclesia sua particularis; ut tamen moverit, Ecclesiam quoque Universalem, ubi opus sit, sibi esse à Christo commendam. Nobis omnibus Episcopis à Paulo dicitur: Attendite, vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Eleutherij nomine, antiquissimi Pontificis Romani, ad Episcopos illa verba circumferuntur: Hujus rei gratia, Universalis vobis à Christo

¶ Christo Iesu, commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis,  
 & cunctis opere ferre non negligatis: Et Cyprianus, Epistola  
 13. libri 111. se pariter cum Stephano Episcopo Romano, gubern-  
 andæ Ecclesiæ libram tenere, afferit, illudque addit: Copio-  
 sum corpus est Sacerdotum, concordia mutua glutine, atque  
 unitatis vinculo copulatum: Ut si quis ex collegio nostro ha-  
 resim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit,  
 subveniant cæteri. Sic factò ipso Cyprianus idem Ecclesijs la-  
 borantibus, extra Africam quoque constitutis, imo vel ipsi Ro-  
 manæ, non semel occurrit; ut in meo opere de Repub. Ecclesi-  
 stica lib. 11. & 111. pluribus explicò. Ita Polycarpus, Iræneus,  
 Osius Cordubensis, Athanasius, Basilius, duo Eusebij, Samolat-  
 nus & Vercellensis, Lucifer Carallitanus, Hilarius Pictaviensis,  
 Theophilus & Cyrillus Alexandrini, Aurelius Carthaginensis, &  
 plurimi alij, Ecclesiæ Universalis necessitatibus, ex proprio ipso-  
 rum Episcopali officio, ut subvenirent, plurimum laborarunt:  
 reliquaque interim, ac benè instructa, & commendata propria  
 Ecclesia; ad alias afflitas & laborantes, se, propria autoritate  
 contulerunt. A meo itaque munere alienum non est, imo  
 mei muneris maxime est proprium, ut Romanæ Curiae, sectam  
 separatam facienti, & gregem Christi laceranti, & vastanti,  
 pro mea virili, ut monet Cyprianus, non accessu quidem ad  
 eam, quia tutus non est, sed recessu corporali ab ea, subueni-  
 am. Meam equidem Ecclesiam Spalatensem retinuisse lib-  
 bentissime; sicut Osius, Basilius, Eusebij, Hilarius, & alij à me  
 modo nominati, suas retinuerunt, & ad eas, peracto publico  
 Universalis Ecclesiæ negotio, sunt reversi: sed quia illa sub Pa-  
 pæ jugo, cum reliquis, gemit; qui Reformationem odit, & fugit,  
 totisque suis, & Principum ei adhærentium viribus; eam impedit;  
 habetque in eos qui Reformationi insistant, vitæ & necis  
 potestatem, nullumque vivum esse patitur; propterea necessa-  
 rio mihi fuit ipsa mea Ecclesia penitus deserenda: ut ipse, dis-  
 ruptis his quoque vinculis, jam penitus factus liber, promptior  
 sim ad veritatis præconium celebrandum; tutiusque possim rui-  
 nas

mas sanctæ Ecclesiæ , quas à Romana Curia patitur , deplorare .  
Tremenda quidem est Regis terreni Majestas , qui , ut Ter-  
tullianus loquitur , post Deum secundus est , & solo Deo mi-  
nor ; & super quem , ut ait Optatus Milevitanus , non est nisi se-  
lus Deus : propterea , cum aliquando Rex David , de adulterio ,  
& homicidio , esset objurgandus ; non summus Pontifex ; non  
alius aut Sacerdos , aut Levita ; non quispiam aut amicus , aut fa-  
miliaris , id munericus ausus est assumere : sed Deus ipse , suos  
proprios ac peculiares ad hoc adhibuit nuncios ; Nathanque  
Prophetam ad Regem increpandum destinavit . Cum Roma-  
no vero Pontifice , universam Ecclesiam nunc maxime turbante ,  
scandalizante , expilante , opprimente , agere non est Prophetar-  
um : non est expectandum , ut Deus ad hoc singulares exciter  
Prophetas , & destinet nuncios peculiares . Non est nostri Ro-  
mani Papæ , non est tanta Majestas ; ut terrere debeat : fista est  
illa temporalis & fastuosa Majestas ; usurpata est ; nulla est : fra-  
ter noster ille est , collega est , & coepiscopus nobiscum ; ac in ope-  
re & labore comminister . Frater vero qui adjuvatur à fratre ,  
ut est in Proverbijs Salomonis quasi Civitas firma . Quid  
stertimus ? quid dormimus ? Frater perit & secum Ecclesiæ in-  
perditionem trahit . Et nos ipsius fratres contemnimus , nec oc-  
currimus ? Taceant omnes ; quiescant omnes ; contemnant o-  
mnes ; Ego catellus profecto omnium minimus , qualicunque la-  
tratu , excitabo saltē fortasse acres molossoes dormientes , à Pa-  
patu mira arte sopitos , qui lupum areeant , & ovile Christi , ut  
par est , pro suo munere tueantur . Non meis utar vocibus in-  
bonis canibus expergefaciendis ; utar Dei vocibus ; clamores  
sanctorum Patrum , ac Conciliorum , sanctæque Catholicae Ec-  
clesiae , ingeminabo . Decem de Republica Ecclesiastica , quos  
ut monui , statim edam libris , illud maximè conor , ut Romani  
errores deregantur : veritas & sanitas Catholicæ & doctrinæ , &  
disciplinæ , aperiatur : Ecclesiæ plurimæ , à nostra Romana abje-  
ctæ , & repudiataæ , in Catholicœ sensu retineantur : Unionis o-  
mnium Christi Ecclesiarum via , nutu , & digito , si non demon-  
strabo .

retur, saltem indicetur; si quo modo fieri possit, ut unum dicamus omnes, unum sentiamus, & schismata comprimantur: Principibusque Christianis ansa eripiatur, oppressionem inter se meditandi; & sub obtentu Religionis, ac fidei; publicam populi Christiani pacem, & tranquillitatem, bellis importunis, ac verè impijs, perturbandi. Sed potius eō vires suas dirigant, ut Ecclesiæ Christi, sub jugo tyranorum vere infidelium gementes, in libertatem pristinam vindicentur.

Profectionem hanc meam, sive etiam ex Babylone exi-  
tum, aut fugam, omni schismatis suspicione carere volo. Fugio enim errores, fugio abusus, fugio ne particeps sim delictorum ejus, & de plagiis ejus accipiam: A charitate tamen quam debeo Ecclesiæ sanctæ Catholicae, singulisque eidem communica-  
cantibus, me nunquam separo: sed quantum in me est, cum omnibus, quamdiu in essentialibus nostræ fidei articulis, & Symbolis, antiquæ Christi Ecclesiæ convenientius, perpetuo communi-  
care sum paratus: si tamen novos articulos, sive sacræ Scripturæ aperte contrarios; sive à Symbolis prædictis alienos, ijsq; repugnantes, simul omnes detestemur & abominemur: Alios vero in se indifferentes, in Ecclesia nunquam sufficienter discul-  
fós, stabilitos, & definitos, pro articulis fidei, nisi prius ad plenum definiantur, aut jam sufficienter definiti esse ostendantur, nequaquam admittamus: Sed neque eos ut hæreticos nisi prius ab Ecclesia sufficienter condemnatus esse nobis constiterit, aut condemnentur, condemnemus. Relinquatur itaq; in indifferenteribus, libera cuicunque Ecclesiæ facultas opinandi & operandi, & unaquaque abundet in sensu suo, donec ipsa Ecclesia, Spiritu Christi instructa, & recta, controversijs finem imponat; verasque paleas separet à veris granis.

Interim verò celeberrimum celeberrimi dictum teneamus Cypriani, quo in Concilio Carthaginensi usus est: Neminem, inquit, judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcorum constituit, aut tyrannico terrore, ad obse-

obsequendi necessitatem, collegas suos adegit: Quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis sua, arbitrium proprium; tanquam judicari ab alio non possit: cum nec ipse possit alterum judicare: sed expectemus universi judicium, Domini nostri Iesu Christi; qui unus, & solus, habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ sua gubernatione: & de actu nostro judicandi. A Romana itaque, imo ab universa ferme Ecclesia, circa Baptismum hæreticorum, tunc Cyprianus dissentiebat, & propria firmatus opinione, Stephanum Romanum sibi acriter in hoc resistentem, cæterosque fere omnes, in aperto errore versari existimabat, nihilominus tamen vinculum inter ipsos unionis, & charitatis Ecclesiastice, abrumpi nunquam est passus, ne schisma, quod est pestis perniciosa Ecclesiarum, inter eos exsureret. Atque in hoc plurima cum sua laude, Stephani non omnino discretum zelum, Cyprianus superavit. Dum enim Stephanus suis excommunicationibus in malum schismatis ruebat, Cyprianus sua patientia & charitate, eximiaque prudentia, separationem evitavit. Et in hoc Cyprianum sàpè S. Augustinus plurimum laudavit, proposuitque actiones Cypriani, tanquam formam, regulam & exemplar toti Ecclesiæ, ad imitandum.

Ac inter cætera, dum factum Cypriani, & cum Stephano certamen, considerat Augustinus, in suo quinto de Baptismo contra Donatistas lib. cap. xxv. ait: Vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali discrepancie, nullum inter eos malum schismatis oriretur. Illud itaque Cyprianus tanquam certum habebat, Stephanum vehementer errare, dum hæreticos ad Catholicam revertentes, absq; novo baptismo reciperet: Et nihilominus maluit, non modo cum ipso Stephano, ab eo longe diversa sentiente, & operante; sed etiam cum illis, quos impuros omnino censebat communicare; ex eo tantum, quod illi à Stephano in communionem reciperentur; quam schismate Ecclesiam scindere. Et hoc S. Augustinus Donatistis exemplum ad imitandum proponit; proponit & nobis.

Imitemur itaq: Pater Beatissime, vosq; Patres, fratresq;;

C 2

& col-

Eccl<sup>e</sup> colleg<sup>e</sup> sanctissimi, Cyprianum; Augustino obsequamur; ut  
 ante omnia, schismata auferantur: Cyprianus enim, ut observat  
 Augustinus; sanctis charitatis visceribus largissime præditus, in  
 unitate eis manendum putavit, qui diversa sentirent. Sentiamus  
 & nos inter nos diversa, quoque plene definiantur, quæ plene  
 nondum sunt definita: sed interim tamen in unitate maneamus.  
 Nam etsi aliquid aliter sapitis, ut monet Apostolus, & hoc vo-  
 bis Deus revelabit. Nolite majora quam sunt schismata effice-  
 re: Cavete & vos, ne cum Stephano, excommunicationibus  
 importunis, charitatem abrumptere tentetis: ne hujusmodi discre-  
 pationibus, ullum inter nos, quod præcavebat sanctus Augusti-  
 nus, malum schismatis oriatur. Pacem & charitatem omnibus  
 Christi Ecclesijs, per essentialia fidei Symbola Christum profi-  
 tentibus, restituite. Longe gravius in Ecclesia malum esse schis-  
 ma, quam heresim, pro certo habetote. Communionem ve-  
 stram, salvis opinionibus, pulsis tamen falsitatibus, promptam  
 omnibus exhibete. Veritatis disquisitionem, legitimis & con-  
 suetis Ecclesiæ sanctæ modis, liberè faciendam, relinquite. Sic  
 enim Christi gratia opitulante, qui se sincere quærentibus dene-  
 gare non solet, brevi futurum spero, ut plena pax & concordia  
 & deque necessaria sanctorum Ecclesiarum unio, consequatur: ut  
 idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Accendamus  
 inter nos faces, non odij, nec simultatum, sed Religiosæ Catho-  
 licæque instructionis: Lucerna pedibus nostris sit Verbum Dei:  
 Sanctorum antecessorum nostrorum, qui singulare in Ecclesia  
 Christi lumen fuerunt, premamus vestigia: Luce veritatis Evan-  
 gelicæ, absque firma obstinatione, tenebras errorum & falsita-  
 tum disjiciamus: A novitatibus, quæ antiquam sanctæ Ecclesiæ  
 doctrinam, & disciplinam, pene extinxerunt, recedamus, ut Ecclesia  
 Christi in terris unica sit, concordia perfectæ glutine copulata:  
 In qua omnes unanimes, uno ore, honorificemus Deum, & Pa-  
 trem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

D. M. L.

Pestis eram vivens, moriens ero mors tua P A P A:



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728271524/phys\\_0025](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728271524/phys_0025)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728271524/phys\\_0026](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728271524/phys_0026)

DFG

27.8.58





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728271524/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728271524/phys_0028)

DFG

at transformationes in lupos vel similes effectus producent  
lib. divinor II.

Unum nota, scilicet: Quæ divina vi præter naturæ  
gicis lusibus toto generè sunt separanda. Item, Quæ miraculo fi-  
tura modum non sunt judicanda. Confer lac. Mart. ex. meta-

Tandem statuimus cum Bierm. th. 41. de λυγε-  
ribus μεταμορφώσεοι tam multū celebratis, dominari in  
sevitium Diaboli, qui impios quidem omnes ad dissolutam  
quorum animos per vim tenet (in primis quos beneficio, poti-  
rationis mutua sibi familiariter devinxit) eos ad facinora  
sed & beluino appetitu terroria impellit. Talem immutati-  
Sarmatice provincijs (de quibus magna λυγενθεωπίων  
vare licet, non figuram aut formam sed appetitum humanum  
fer buc Arist. 7. Eth. c. 1. & 6. Item sententiam quorū  
qui λυγενθεωπίων habent loco alicuius affectionis, eamq;  
depravatae phantasie seu imaginationis, cuius rei exempla  
Lemmius in lib. de humoribus.

Reliqua, que de magicis rerum conversionibus circumfe-  
quam visa esse, aut si qua visa sunt, non rem videndam sed o-  
scino fuisse oblatum; aut si inviolatus persistenter oculus, rem  
fuisse subductam, illamq; illam in locum substitutam plane af-

Nam (ut hoc breviter saltem ex Vairo lib. de fascin-  
Dæmon mille artifex, divinâ potissimum si gaudeat permis-  
neri egregie imponere, vel 1. sensuum vires obnubilando, n-  
suum objectum est, pertingant, vel 2. objectum ipsum occi-  
aliud ostendendo, vel 3. oculorum humores corrupendo,  
piant, quam est, vel 4. aerem intermedium condensando, if-  
gestit exhibere, assimilando, Exempla ubiq; sunt obvia.  
August. de civ. Dei l. 18. c. 18. Luth. in expos. Decal.  
l. 3. c. 10. l. 4. c. 22. seq. Godelm. l. 2. c. 3. p. 24. Horst.  
quæst. 9. Casman part. 2. angel. p. 531. Egregium aute-  
plum vide apud Georg. Sabinum. l. 7. metam Ovid.

### Quæstio VIII.

An Dæmones verè cum Magis congregantur  
num veram queant procreare siboles

Et hōs persuasum est multis. Patentur enim Maga

B 3

